Chara Soror, notitia Dei, bonæque fiducia cordis, certitudo consci-
entiæ, robur fidei, in me erant funditus extincta. Sola spes mise-
ricordiæ Dei nobis promissæ in unigenito filio Dei et jure-
jurando obstrictæ, relicta erat apud me tanquam parva scintilla
in summeriis horrendisque tenebris. O Domine Deus salutis meæ,
quam anguste pressa fuit anima mea, vita mea ad inferos usque pro-
lapsa erat. Vir eram omni ope destitutus, similis illis, qui jacent in sepul-
chris, quorum memoriam ex animo tuo delevisti, in imum profundum me
præcipitasti, ut hominem cui nulla fiducia esset in Domino Deo suo.
Soror hæc sunt verissima his quæ apud Sagittar. Simulatque Deus se etiam
cum maxime nobis videmur stare, quasi faciem suam removet a nobis: nihil
nobis prorsus reliquum fieri præter interitum et internecionem.
Mirâ arte Sathan me suis retibus impediverat, nec aliud superabat tum
futurum, quam ut ego parvi animi homuncio in magnis angustiis despe-
rarem. Et sane quantum ad me attinebat, jam omni spe exciderim. Nisi
Dominus Jesus, ille fortior in ipso articulo necessitatis intervenisset
atque ex illius homicidæ manibus me asseruisset, tam ego periera nun-
quam extrema, quod dicitur, faba, nunquam inter filios Dei meum
deinceps nomen auditum esset. Quapropter laudabo Servatorem
meum et annunciabo ejus præconium, donec mihi in angusto
pectore sanguis calebit. Nondum quidem prorsus ex his undis e-
mersi, sed tamen gratia Dei pedes mihi in vado consistunt.
Adjuva me tuis precibus, et filios tuos hortare, ut periculo-
sum tempus adolescentiæ suæ in timore Dei et solicitudine
percurrant, semper audientes, discentesque, legentes et orantes,
vigilantes et suspirantes: ut in extimis tenebris hujus mundi saluta-
rem lucem verbi Dei rectis pedibus constanter ad finem usque per-
sequantur. Ut vero cordis affectu sentiant, quanta sit ira Dei ad-
versus peccatum, adversus omnem simulationem atque contamina-
tam, atque etiam ut firmiter constrictis manibus retineant quod Jesus
Christus filius Dei, secunda persona divinitatis constitutus sit
mediator inter iram Dei et peccata nostra. Item ex virgine
Maria humanam naturam assumpsit fuit victima propitiatrix
pro nobis, ac per eum solum, atque adeo propter eum solum datur,
ab æterno Patre remissio peccatorum, justitia divina, regeneratio
Spiritus et vita æterna omnibus qui ex animo convertuntur
ad Deum et fide certa hæc bona promissa amplectuntur. Vale
cum honesto viro conjuge tuo Francisco et cum amicis reliquis.
Bremæ 3. Augusti 1657.

Tibi addictus Johannes Molanus.

Francisco Geumaro olim charissimo discipulo (38.)
Steen Werci nunc viventi in magnis opibus Amenteriis.

Si non immeritò Juvenalis commendat majores suos qui præcepto-

[= Mscr. a. 7: Nr. 14]

tem sancti voluere parentis esse loco, non erit hoc mo-
lestum animo tuo vir optime, quod hanc vestram tranquil-
litatem non satis solicita conscientia nixam in expectata
importunitate interpello, non arbitror prorsus excidisse vobis
earum rerum recordationem, quæ non injucundæ nec infru-
giferæ me Magistro Steenwerii in schola gestæ sunt, neque fieri
potest, ut nescias quam egregie te charum habuerim, etiam
supra eos, quos mihi devinxerat domestica consuetudo,
sicut ego quoque nunquam vivus obliviscar, quantus in te fuerit
puero ardor pietatis, quantusque amor sacrarum literarum,
quanta reverentia institutoris, his ego rebus fretus oblatam
hac occasione non dubitavi epistolium isthuc ad te mittere,
ut de meo statu pauca judicare, et quædam etiam de tua
ratione vitæ percontari. Primum igitur mearum rerum
conditio humilis quidem est, sed secura. Vivo jam hunc
quartum annum Bremæ in schola, ubi unam quotidie
lectionem juventuti subministro Græcam. Domi habeo 14.
pueros, qui fere sunt nostrates, hi me sustentant et à me
privatim instituuntur. Habito in monasterio quodam à
Monachis deserto, pueri superne in Monachorum cubilibus
dormiunt, ego cum mea conjuge et familiaribus inferne
in capitulo meam sedem habeo. Atque ibi illi quondam solebant
ligna ac lapides colere, et mortuos homines invocare
ibidem ego cum meis puerulis Deum verum inclamo in agni-
tione et fiducia filii ejus Jesu Christi Mediatoris. Delre-
veram hinc ad Academiam aliquam transire, sed jam iterum
ab iis, qui scholæ ~~præ~~ rebus, constitui quod mihi exiguum
vitæ superest (nisi aliud Deo visum fuerit) apud Bremenses con-
sumere. Non vivo in magno splendore (à quo semper abhorruit
genius meus) sed fruor meis studiis, nec destituor rebus
necessariis, consolor peregrinitatis incommoda lectione
sacrarum literarum et procul à bestiæ cornibus, procul
ab Antichristi fulmine Deum patrem Domini nostri
Jesu Christi et Filium et ejus unigenitum et spiritum sancti
(quantum possum animo contritus) agnoscere, invocare, et sincere
juxta regulam à Prophetis, Christo et Apostolis nobis traditam,
colere contendo. Has ego res tanti facio, ut si mihi hic fame
sit pereundum: nunquam mihi in mentem ventura sit hujus
exilii poenitudo. Nunc ad te mi Francisce venio, qui nisi habe-
res ingentes opes, nequaquam pati posses, uxorem tibi et libe-

vos impiis cultibus contaminari, ut nihil dicam de tua ipsiusque conscientia, quam non meum est scrutari, tamen ex iis, quae mihi olim cum isthic essem evenerunt. Facile eam conjicio interdum graviusque torqueri. Nihil minus velim quam augere tibi dolorem, sed tamen veteris amicitiae respectu, te hortor, ne istis malis indormias, neque (quod plerique isthic (etiam docti) faciunt) credas receptae idololatriae turpitudinem ficulnis inanium verborum foliis velari posse. Et tangis immundum vel volens vel nolens, et negas id esse peccatum: erit pars tua cum Hypocritis. Manet irrefragabilis veritas verbi Dominici. Idololatrae non habebunt haereditatem in regno Christi et Dei, agnoscendum peccatum est, non dissimulandum, et si declinari non potest, acerbe deflendum est, donec paulatim confirmato animo des gloriam Deo, quamquam (quamvis timida et imbecillis caro est) tamen scio tibi tua verba chariorem esse. Et si confitearis peccatum tuum, fidelis est et justus, ut remittat tibi et familiae peccata, et emundet vos ab omni iniquitate. Ne moveant te exempla magnorum, sed ausculta Deo cum tremore. Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos, non facies tibi alios cultus. Deum tuum adorabis, illum solum coles. His legibus non exemplis judicandum. Sed ego percontatum non hortatum veneram, sed video tamen sic cucurrisse calamum, ut satis intelligas tuam mihi salutem curae esse, quam saepe cum eorum vita, qui illic sub bestiae cornibus infeliciter luctantur flens Domino commendo. Vale pridie nonas Augusti 1557.

Tuus olim praeceptor

Johannes Molanus.

Adolescenti singulari quadam modestia praedito 139]
Henrico Wiggeboldo. Lubecae

Pax Christi.

Tua tam officiosa epistola, dulcissime adolescens, afflictum hunc animum non exigua consolatione delinivit. Proinde et te amo multo ardentius, quod me in memoria retinueris, et mei in conservatione amicitiae paria tuum facturum (quatenus quidem res feret) promitto. [= Mscr. a. 4: Nr. 15] Frange vero nimium illum pudorem, quo fit ut non audeas nisi veniam praefatus tuis me literis compellare, non sum ego in illis eleganter eruditis, quorum aures delicatae non nisi melle Hymettio debent permulceri: Nec rursus natura ita sum illepidus, ut si quando accurate conscriptam epistolam Molano mittes, pavitare debeas assem dare Elephanto. Sed transeamus ad alia, habes Lubecae Dominum beatum, tibique (ut scribis) propitium. Lectores doctos, magistros literarum, tui amantes.